

trinfecas pluribus singularibus communes ,
exclusis iis, quæ in individuis diversa sunt .

II. Per *principium individuationis* intelligitur ratio sufficiens intrinseca individui . Scholasticis idem venit nomine *hecceitas*. Itaque per principium individuationis intelligitur cur ens aliquod sit singulare , seu ratio sufficiens intrinseca individui . Inter Scholasticos agitari solet quæstio quodnam sit principium individuationis , seu cur Petrus sit a Paulo numero distinctus . Observandum est hęc quæstionem non esse quænam sit causa effectrix , quæ individuum producit , neque etiam quid sit illud , per quod individuum V. G. Petrum distingui-
mus ab alio individuo V. G. Paulo , sed tantum quæritur unde fit , ut ens tale sit tale ens , non aliud , seu cur sit singulare , ut diximus . Unde fit :

C O N C L U S I O .

Principium individuationis est omnimoda determinatio eorum, quæ enti actu insunt .

Prob. Quidquid existit singulare est , seu individuum : sed quidquid existit est omnimode determinatum ; ergo quodlibet individuum est omnimode determinatum ; sed ex eo , quod individuum sit omnimode determinatum intelligitur cur sit individuum ; ergo omnimoda determinatio eorum , quæ enti actu insunt , est principium individuationis . Et certe individuationis principium debet esse simile illi , per quod formantur genera , & species ; sed genera , & species formantur per determinationem , etenim